

Dissertatio Inavgvralis Ivridica De Praescriptione Restitvtionis In Integrvm

Gissae: apud Ioannem Iacobvm Bravn, 1785


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1037045130>


Druck Freier  Zugang





7^o
K.k — 1 (32.)





J. H. Bausen. de fidei commissariis

J. Born. de act. cred. adu. debitoris scilicetorem.

A. H. Breuninger.

G. H. Bruckner. de rest. in int. ex cl. gener.

G. D. Busch

J. Claprotk. de nonasu. Decreti. D. Plac.

J. C. Conradi. ad d. 8. 9. 7. D. de fidei.

H. Cosel. ad d. 7-10. D. de R. F.

C. M. Gagerer. de naturali obliq. impuberum.

A. H. Exenhardt. de pign. in utero futuri.

J. R. Engau. de delictis monetar.

G. D. C. ab Engelbrechten. de jure

J. H. Musaus. de orig.

A. H. Fleischmann. repras. in succ.

J. H. Mylius. de hysign.

C. Manaccias. de jure test. prodi.

J. J. Richter. de Condit.

A. H. Schamp

de obliq.

D. H. Kemmerich. de cred. anti.

A. F. Rivinus. ad Ho.

G. H. Koch. de cautione de non turb.

J. Schiller. de compa.

J. C. Koch. de restrictione in don.

P. W. Schmid. de ratt.

A. H. Kopp

G. J. Kraus. de appell. a sententia

J. J. Schoepffer. de juri

J. P. Kress. de nepote conferente.

P. Stevogt. de testam.

A. H. Kumbold

A. D. Steger. ad leg.

W. J. Linn. de peric. rei sub pacto

C. W. Streckes. de argu

J. J. Loeffler. de m. c. captionibus.

P. Mascov. de benef. ced. et ion.

H. Michaelis. ad d. 1. 2. 3. Inst.



Feb. 10.
114
DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE

**PRAESCRIPTIONE
RESTITUTIONIS IN INTEGRVM**

QVAM
EX DECRETO ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. IO. CHRISTOPH. KOCH

SEREN. HASSIAE LANDGR. A CONSILII INTIMIS
ACAD. GIESS. CANCELL. ET PROF. IVR. PRIM.
COM. PAL. CAES.

PRO

L I C E N T I A

SVM MOS IN VTROQVE IVRE HONORES
RITE CAPESSENDI

D. IULII CIOIOCCCLXXX.

PVBLICO EXAMINI

SVBMITTIT

AVCTOR

IOANNES DAVID REICHARD

MOENO - FRANCOFVRTANVS

GIESSAE

apud IOANNEM IACOBVM BRAVN, Acad. Typogr.
recusa 1787.

13

DISSERTATIO INVESTITIVAE IURIDICAE
DE
RESTITUTIONE
INTEGRUM

AVCTORITATE
ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE
PRAESIDIS

CHRISTOPHORI
FRIDERICI
C. C.

AVCTORITATE
ILLUSTRISSIMI ACADEMIAE
PRAESIDIS

FRIDERICI
C. C.

FRIDERICI
C. C.

SENATVI AMPLISSIMO
LIBERAE AC INCLYTAE CIVITATIS IMPERIALIS
PERANTIQVAE FRANCOFVRTENSIS

VIRIS
GENERE, VIRTUTE, NOMINE, MERITIS
AC MVNERVM GRAVITATE
PERILLVSTRIBVS MAGNIFICIS GENEROSISSIMIS
EXCELLENTISSIMIS

DOMINIS
PRAETORI
CONSVLIBVS
SCABINIS
SYNDICIS
SENATORIBVS

ET
NOVEM EX IISDEM
AVGVSTISSIMI IMPERATORIS
CONSILIARIIS ACTVALIBVS
DOMINIS SVIS FAVORIBVS
PATRONIS ET MAECENATIBVS
SVMME VENERANDIS

DISSERTATIONEM HANC INAUGURALEM
DEVOTISSIMA MENTE

OFFERT ET CONSECRAT

TANTORVM NOMINVM

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

IOANNES DAVID REICHARD



DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA
DE
PRAESCRIPTIONE
RESTITUTIONIS IN INTEGRUM.

§. I.



Restitutio in integrum.

Restitutio in integrum, id est reductio seu repositio in pristinum statum illaesum, quatenus in arte aequi & boni auxilium & remedium, quo laesis succurritur, denotat, dupliciter sumitur: alia enim est, quae in causis criminalibus spectatur, & a quibusdam (a) personalis, quod per illam persona condemnata in priorem statum reponatur, vocatur; alia, quae in civilibus cernitur, quam realem appellant, non quasi rei detur, sed quod per illam res seu causa personae restituatur.

A 3

Illa

(a) GEORG. FRANTZKE in *Comment. in Dig.* lib. IV. tit. I. n. 3.



Illa restitutio in integrum, quae in *criminalibus caussis* occurrit, prouti damnatis & sententiam passis vel ob *innocentiam* postea probatam, vel *ex mera indulgentia* datur, aut *iustitiae*, aut *gratiae*, vocatur. Posterior iterum vel *generalis* seu *communis* seu *minus plena*, vel *specialis* seu *plenissima* est. Illa poenam tantum remittit, & veniam & reditum in patriam indulget, aut neque bona, neque actiones, neque vlla alia iura restituit. Hac vero simul bona, honores aliaque iura restituuntur (b). Vtraque restitutio in integrum, tam *iustitiae*, quam *gratiae*, apud Romanos a solo Principe fiebat, nec ab vlllo magistratu auctoritate propria dari poterat (c). Sed id in Germania quoad restitutionem *iustitiae* aliter se habet, eaque hodie a magistratu *merum imperium* habente omnino fieri potest (d); nec absolute & vbique requiritur, vt acta ad extraneum collegium transmittantur (e).

Ceterum cum in legibus huic restitutioni, siue ob *innocentiam*, siue *ex mera indulgentia* fiat, neque peten-

(b) tot. tit. D. & C. de *sententiam passis & restitutis*.

(c) l. I. §. fin. D. de *quaestionib.* l. I. §. IO. D. de *postulando* l. 4. l. 27. pr. D. de *poenis*.

(d) AVGVST. & LEYSER in *Meditat. ad Pand.* spec. 653. med. I. seqq.

(e) qua actorum transmissione opus esse censet IVST. HENNING. BONHMERS in *Introd. in ius Digest.* lib. 48. t. 23. §. 3.



petendae neque concedendae tempus certum praefixum sit, nec circa illam quaestio de eius praescriptione moueri potest, ideoque ad thema dissertationis nostrae haud pertinet.

Redeo ergo ad illam restitutionem in integrum, quae in *causis ciuilibus* obtinet, quaque, *VLPIANI* effato, hominibus vel lapsis, vel circumscriptis subuenitur, siue metu siue calliditate, siue aetate, siue absentia inciderunt in captionem, siue per status mutationem, aut iustum errorem (*f*). Eaque *iure Romano* fieri potest a magistratibus non quidem omnibus, sed tantum a maioribus, iisque similibus iudicibus, quibus iurisdictio *augustior, splendidior, eminentior & imperiosa* competeat (*g*): non ergo a magistratibus *municipalibus* (*h*), multo minus ab *arbitris* (*i*). Verum hodie facultas restitutionem in *causis ciuilibus* dandi, cuiilibet magistratui, inferiorem iurisditionem habenti, regulariter competit (*k*).

Haec


(*f*) l. 1. & 2. D. de *in integr. restit.*

(*g*) l. 16. §. *fn.* D. de *minor. XXV. annis l. ult. C. ubi & apud quem.* REINH. BACHOV. in *Comment. in primam partem Pandect.* p. 997. seqq. ARNOLD. VINNIUS in *select. Quaest.* lib. I. c. 3. IVST. HENN. BOEHMERVS in *dissert. de maiestate imperii magistratuum maiorum; in Exerc. ad Pand. T. I.*

(*h*) l. 26. D. ad *municipalem*

(*i*) l. *fn* C. *ubi & apud quem*

(*k*) SFORZIA ODDVS in *tract. de rest. in integr. P. I. quaest.*



Haec in integrum restitutio a PAVLO (l) definitur, quod fit: *redintegrandae rei seu causae actio*. *Actionis* vocabulum tam late sumit PAVLVS, vt & *extraordinarias* officii iudicis *implorationes* complectatur. Monet quidem IOANNES VOETIVS (m), illo casu, quo opposita *exceptione* restitutionis auxilium petitur, minus recte restitutionem nominari *actionem*, eamque tunc potius *rei seu causae redintegrandae exceptionem* dicendam esse. Verum alii PAVLVVM hac ratione defendunt, quod reus excipiendo fit actor, ipsaque *exceptio* vim actionis habeat (n). Ceterum haec PAVLIANA definitio ex illa visione sumta est, qua consideratur restitutio, quatenus a *laeso intenditur*, & a *magistratu petitur*. Alia est visio restitutionis, quatenus a *magistratu conceditur*. Qua quidem ratione in iuris nostri locis describitur: *in pristinum statum restitutio* & *negotii instauratio* (o), vel *causae amissae redintegratio* (p). Ego sic definitio *restitutionem in integrum in causis civilibus*, quod, quatenus a laeso intenditur & a magistratu petitur, fit: *auxilium seu reme-*

32. art. 4. WOLFFGANG. ADAM. LAUTERBACH in *Colleg. theor. pract.* lib. 4. tit. I. §. II.

(l) PAVLVS in *recept. sentent.* lib. I. tit. 7.

(m) in *Comment. ad Pand.* lib. 4. tit. I. §. I.

(n) CHRISTIANVS GOTTLIEB BIENERVS in *hist. iur. civ. de restit. in integr.* cap. I. Lips. 1779.

(o) l. 2. C. *si aduersus transactionem.*

(p) l. 2. C. *in quib. caus. in integ. rest. necess. non est.*

medium summo meroque iure laesis concessum, eum in finem implorandum, ut ob iustam aequitatis causam in pristinum statum illaesum a magistratu reponantur seu deducantur. Quatenus vero consideratur, in quantum a magistratu conceditur, est: repositio seu deductio eius, qui summo meroque iure laesus est, in statum pristinum illaesum ex iusta aequitatis causa a magistratu facta (q).

Restitutionis aequitas contra summum merumque ius vel ab ipsa lege civili noua (r), aut ecclesiastica,
B agnita

- (q) Aliis aliae placent notiones. Per me quidem licet, cui dicas, tu mihi sola places; dummodo abstineas a vocabulis: *rescissio negotii*; nam saepenumero in integrum quis restituitur, ubi *negotium non rescinditur*.
- (r) Aliquibus ridiculum & contradictorium esse videtur, si quis statuat: negotium iure civili validum esse, & eodem iure civili iterum rescindi. COCCIII in *iure civ. controu.* lib. 4. tit. I. quaest. I. Sed salua res est, si perpendimus, utrumque non eodem iure civili fieri, sed ius civile *nouum* ius civile *vetus* nimis asperum saepius, quam par erat, & durum per viam restitutionis mitigare atque corrigere; deinde Principes, licet constitutionibus suis particulam iuris veteris, quae ipsis iniquitatem alere videbatur, *directo* tollere & mutare potuissent, id tamen, ad auram popularem se accommodantes, saepe non fecisse, sed artificium Praetoris, quo is in emendando iure civili vsus fuerat, vtiliter adhibuisse. Inuenerat Praetor emendandi iuris civilis causa non solum *restitutiones in integrum*, sed & *honorum possessiones*. Vtramque ergo viam praetoriam & Prin-



agnita est, vel a Praetore. Illa appellatur *ciuilis* aut *canonica*; haec, *praetoria*. Prior etiam vocatur *ordinaria*; posterior vero *extraordinaria*. *Ciuiles* iterum duplicis generis sunt: aliae enim ad exemplum & analogiam praetoriae restitutionis introductae sunt: nimirum, restitutio *reipublicae* (s); aliae vero minus; in quarum numerum referunt l. 31. D. de iureiur. (t) l. 33. D. de re iudic. (u) l. 35. eod. (x) l. 2. C. de rescind.

Principes in iure ciuili veteri emendando constitutionibus suis sequutos esse mirari minime debemus. confer. tit. D. ut ex legibus senatusue consultis bonorum possessio detur.

(s) *Constit. Imperat. ALEXANDRI* in l. 3. C. de iure reipubl. relata ita sonat: *Rempublicam ut pupillam extra ordinem iuuari, moris est.* add. l. 4. C. quibus ex caus. mai. l. 1. C. de officio eius qui vic. ab. iud.

(t) *CAIUS* in l. 31. D. de iureiur. — *Admonendi sumus, interdum etiam post iusiurandum exactum, permitti constitutionibus Principum ex integro causam agere, si quis noua instrumenta se inuenisse dicat, quibus nunc solis usurus sit. Sed hae constitutiones tum videntur locum habere, cum a iudice aliquis absolutus fuerit: Solent enim saepe iudices in dubiis causis exacto iureiurando secundum eum iudicare, qui iurauerit. Quod si alias inter ipsos iureiurando transactum sit negotium, non conceditur eandem causam retractare.*

(u) *CALLISTRATVS* in l. 33. D. de re iudic.: — *Diuus Hadrianus aditus per libellum a Iulio Tarentino & indicante eo falsis testimoniis, conspiratione aduersariorum*
testi-

rescind. vend. (y). Canonica restitutio, ad exemplum praetoriae restitutionis constituta, illa est, quae datur ecclesiae, omnique alii pio corpori (z). Omnis civilis & canonica restitutio specialem & determinatam causam habet; Praetoria vero vel ex causa speciali & determinata, veluti: vi metuae, ex dolo, minore aetate, capitis deminutione, alienatione iudicii mutandi causa facta, & absentia datur, vel ex indeterminata, vi clausulae

B 2


edicti

testibus pecunia corruptis, religionem iudicis circumuentam esse; in integrum causam restituendam, in haec verba rescripsit: Exemplum libelli dati mihi a Iulio Tarentino mitti tibi iussi. Tu, si tibi probauerit, conspiratione aduersariorum & testibus pecunia corruptis oppressum se: & rem seuerè vindica & si qua a iudice tam malo exemplo circumscripto iudicata sunt, in integrum restitue.

(x) PAPIRIVS IVSTVS in l. 35. D. eod. — Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt: Quamquam sub obtentu nouorum instrumentorum restitui negotia minime oporteat: tamen in negotio publico ex causa permittere se huiusmodi instrumentis uti.

(y) Constitutio Imperatorum DIOCLETIANI & MAXIMIANI in l. 2. C. de resc. vendit: — Rem maioris pretii si tu vel pater tuus minoris distraxerit: hummanum est, ut vel pretium te restituente emtoribus fundum venundatum recipias auctoritate iudicis interueniente: vel si emtor elegerit, quod deest iusto pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit.

(z) C. I. & 2. de rest. in integr. in 6. Clem. vn. cod. tit.



edicti generalis: Item si qua alia mihi iusta causa esse videbitur, in integrum restituum.

Denique *consuetudine fere vniuersali in Germania in integrum restitutio obtinet, praetoriae illi, quae ob minorem aetatem conceditur, similis, introducta in eorum auxilium, qui per administratores reguntur, secundum vulgarem illam regulam: Quidquid regitur per administratores, illud restituitur in integrum (*)*.

§. II.

Dies utiles & continui.

Tempus utile & continuum.

Tempora petendarum restitutionum in integrum.

Videamus nunc, intra quod tempus restitutio in integrum petenda sit? Antequam vero haec quaestio recte tractari queat, opus est, ut de *dierum & temporum differentia & qualitate*, ad hanc materiam spectante, pauca praemittamus.

Dies utiles vocantur, quibus quis experiundi potestatem habuit. Et quidem, VLPIANO auctore (a), in primis exigendum est, ut sit facultas agendi: neque suffi-

(*) BRUNNEMANN ad l. 4. C. ex quib. caus. maior. STRVV. in *Syntagn. iur. civ.* Ex. 8. th. 61. LAVTERBACH c. 1. lib. 4. tit. 4. §. 38. & plures excitati a BARTHIO in *Dissensu in praxi* diff. 274.

(e) in l. 1. D. de diuersis temp. praescript.



sufficit reo experiundi secum facere potestatem, vel habere eum, qui se idonee defendat; nisi actor quoque nulla idonea causa impediatur experiri. Proinde siue apud hostes sit, siue reipublicae causa absit, siue in vinculis sit, aut si tempestate in loco aliquo, vel in regione detineatur, vt neque experiri, neque mandare possit, experiundi potestatem non habet. Plane is, qui valetudine impeditur, vt mandare possit, in ea causa est, vt expereundi habeat potestatem. Illud vtique neminem fugit, expereundi potestatem non habere eum, qui Praetoris copiam non habuit; proinde hi dies cedunt, quibus ius Praetor reddit.

Hi dies *vtiles* pro diuersitate obieci, quod aut *de plano* peti potuit, aut *causae cognitionem pro tribunali* desiderauit *decretumue* expoposcit, vel potuerunt quoque esse dies *non-sessionum*, vel tantum fuerunt dies *sessionum*, tales scilicet, quibus se dedit Praetor pro tribunali *postulationibus*: nam aliquando se dedit quidem Praetor pro tribunali, sed *postulationibus* non dedit: verum aliis rebus, aut *militaribus*, aut *custodiis*, aut *cognitionibus* fuit occupatus (b). Quare *sessionum* dies recte diuiduntur in *postulationum* & *cognitionum* dies.

Aliquando etiam, vt dies sit *utilis*, requiritur, vt sciuerit quis, tam *initio*, quam *postea*, experiundi

B 3 &

(b) 1. 2. D. *quis ordo in possess. seruetur.* CUIACIUS lib. 2. obs. 18.



& postulandi sibi fuisse potestatem (c); Sed hoc requisitum perpetuum non esse, & dies ceteroquin vtilis, *ignoranti* etiam aliquando currere, deinde probabimus.

Dies continui sunt dies naturales continuata serie & nullis exceptis insequentibus, siue feriati aut non feriati, siue tales sint, quibus experiendi potestas fuit aut non fuit.


Tempus igitur aut vtile aut continuum est. Vtile est, vel tantum ratione initii, quod experiendi potestatem habentibus & scientibus demum currere incipit; vel tantum ratione cursus seu progressus, in quod imputantur tantum dies, quibus ex sententia VLPIANI, experiendi potestas fuit; vel ratione initii & cursus seu progressus simul. Vtili tempori oppositum est continuum quod quale sit, ex his facile intelligitur. Datur ergo tempus vtile ratione initii & ratione cursus continuum; tempus continuum ratione initii, & vtile ratione cursus; tempus ratione initii & cursus simul vtile; tempus ratione initii & cursus simul continuum (d).

Annus igitur utilis erat, qui ex ccclxv. diebus utilibus constabat, cui oppositus erat annus continuus, ex ccclxv. diebus continuis constans. Annus ille utilis & continuus easdem habet distinctiones, quas de tempore utili & continuo attulimus.

Iure

(c) l. 6. D. de calumniat. l. 2. D. quis ordo in poss. seruetur.

(d) LAVTERBACH, in dissert. de varietat. tempor. c. 2.



Iure veteri praetoria restitutio in integrum petenda erat intra annum utilem ratione cursus, sola restitutione, quae ex edicto de capite minutis dabatur, excepta, quippe quae perpetua erat (e). Sed lubrica admodum atque difficilis utilium dierum computatio erat, litium materiam saepissime praebens, igitur CONSTANTINVS (f) primo in restitutione ex causa doli loco anni utilis substituit biennium continuum; deinde idem CONSTANTINVS (ff) in restitutione minorum pro anno utili dedit tempora continua, & Romae quidem, atque intra centesimum ab vrbe lapidem, quinquennium, in Italia reliqua quadriennium, & in provinciis triennium continuum.

IUSTINIANVS vero hanc CONSTANTINI constitutionem quoad differentiam locorum correxit, & ubique quadriennium continuum obseruari voluit, eundem terminum etiam restitutionibus in integrum, quae maioribus ex causa absentiae dantur, praescripsit. Vtrum vero hoc quadriennium continuum ad omnes restitutionum in integrum praetoriarum species porrigendum sit? de eo acriter inter se Iureconfulti disceptant. Id quidem expeditum est, quadriennium continuum trahi non posse ad restitutionem ex causa doli, quippe quae
ex

(e) l. 14. §. 1. D. quod metus causa. l. 6. D. de alienat. iudicii mutandi causa. l. 2. §. fin. D. de cap. minutis.

(f) in l. 8. C. de dolo malo.


(ff) in l. 2. C. de in integrum restitut.



ex constitutione CONSTANTINI intra *biennium continuum* peti debet; alias enim nimis supine TRIBONIANVS textum in l. *ult. C. de dolo malo* nobis proposuisset, si haec constitutio CONSTANTINIANA per IVSTINIANEAM correcta fuisset. Nec illud dubium habet, quod restitutio in integrum ex *edicto de capite minutis* descendens, manserit *perpetua*; IVSTINIANVS enim *quadriennium continuum* in iis tantum restitutionibus introduxit, in quibus antea *annus utilis* obtinuerat. Quaestio igitur illa pertinet ad restitutiones in integrum ex causa *metus*, si *quadruplum* petitur; *alienationis iudicii mutandi causa factae* & maioribus ex *clausula Praetoris generali*, praeter *causam absentiae*, *promissas*. Equidem magis inclino in eam sententiam, ut *quadriennium continuum* ad illas quoque praetorias restitutiones, quas commemoravi, ex mente IVSTINIANI optimo iure applicandum esse rear (g). Imo, me iudice, nec culpandi sunt illi Iureconfulti, qui in aliis actionibus, intra *tempora utilia* instituentis, e. g. *actionibus aedilitiis*, pro *temporibus utilibus quadruplicata tempora continua* hodie substituunt.

Dictum est de tempore petendarum restitutionum in integrum praetoriarum. Idem illud *quadriennium continuum* obtinet quoque in *canonica* restitutione

(g) LEON. LVD. MENCKEN in *diff. de restitut. in integ. praescript. §. 7.* Dissentiunt tamen LAVTERBACHIVS, FRANTZKIVS, VOETIVS, aliique.



tione in integrum (*h*), & in illa restitutione in integrum *ciuili*, quae *reipublicae ad exemplum minorum* datur (*i*). Reliquas vero in integrum restitutiones *ciuiles*, in §. I. recensitas, ad exemplum aliarum actionum *ciuilium*, perpetuas esse puto: (*k*) quamuis me non fugiat, dari *Iureconsultos*, qui & in his *quadriennium continuum* locum habere contendunt (*l*). De temporibus in restitutionibus in integrum, quas petunt *successores*, ex personis *antecessorum*, obseruandis in §. seq. commodior erit dicendi locus.

Proposui haecenus *regulas*, proximus locus *exceptionibus* debetur. Restitutionem in integrum *ex edicto de capite minutis* perpetuam fuisse, & actionem de *dolo biennio* finire, antea iam monitum est. Si *suus heres*, qui *minor* est, vel in *utili tempore* constitutus, *paternam hereditatem* recusauerit, deinde vero maluerit illam adire, tunc post impletum illud *quadriennium* minoribus praescriptum, aliud ei *triennium* induigetur, intra quod potest rebus in suo statu manentibus adire hereditatem & suam abdicacionem re-

C


uoca-

(*h*) c. I. & 2. de *rest. in integ.* in 6. *Clem. vii. de rest. in integ.*

(*i*) 1. 3. D. de *iure reipub.* 1. 4. C. *quib. ex causis maiores.* IO. TOB. CARRACH in *Progr. de quadriennali uita restitutionis in integ. reipub. Et eccles.* §. 3. seq.

(*k*) STRYK in *Vf. Mod.* lib. 4. tit. I. §. I.

(*l*) COCCII in *iure ciuili controu.* lib. 4. tit. I. quaeft. I.



uocare (m). Exceptionem quoque aliqui (n) statuunt eo in casu, si quis per ipsius temporis lapsum & decursum laesus sit. Aiunt enim, annum utilem seu hodie quadriennium continuum intelligendum esse non aequabiliter, quasi indistincte omnibus, qui quocumque modo laesi sunt, competeret, sed determinatiue, quod ubi perfecta & plusquam anni temporis laesio in agendo contigisset, ad summum restitutio intra annum seu hodie quadriennium, non vero ultra, petenda sit. Exempli causa: Si usucapionem quis contra praesentem usque ad mensem unum inchoet & continet, & post modo ex iusta causa absens factus adimpleat, tum is, qui in ciuitate mansit, contra reuerfum habebit tantum mensis unius restitutionem, id est intra mensis tempus pro concedenda actione rescissoria officium Praetoris implorandum erit. Utuntur pro stabilienda hac sententia auctoritate VLPIANI (o), cuius verba refero: Sed cum feriae tempus eximunt, restitutio duntaxat ipsorum dierum facienda est, non totius temporis, & ita IULIANVS lib. 4. Dig. scribit: ait enim, rescissionem usucapionis ita faciendam, ut hi dies restituantur quibus actor agere voluit & interuentu feriarum impeditus est. Quoties per absentiam quis non

toto

(m) l. ult. C. de repudianda vel abstin. hered.

(n) FRANZKIVS c. l. n. 25. BACHOV. in Protis p. 952. seqq. BOEHMER in Introduct. in ius Digest. lib. 4. tit. I. §. 6.

(o) l. 26. §. 7. & 8. D. ex quib. caus. maior.

toto tempore aliquem exclusit; utputa rem tuam possedi uno minus die statuto in usucapionibus tempore, deinde reipublicae causa abesse coepi: restitutio aduersus me unius diei facienda est. Fuit haec disputatissima iam olim inter MARTINVM & IOANNEM Glossatorem controversia (p). Sed contrariam sententiam post alios egregie tuitus est IOANNES VOETIVS (q), quod, nimirum, nulla distinctione aut limitatione addita, quot dies ad agendum captiuitas, absentia, vincula, aliaque impedimenta, laeso abstulissent, integer olim annus utilis, hodie quadriennium continuum, petendae restitutioni praestitutum sit, verbaque VLPiani non aliud indigent, quam quod restitutio in integrum intra annum utilem ex praescripto & edicto Praetoris impetrata, hunc sit habitura effectum, ut restituto liceat actione illa, cuius dies exierat, experiri per tot dies, quot ante impedimenti interuentum restabant. Haud enim videtur eundem inficias, quin Iureconsulti veteres in Pandectis in casu rei per absentiam usucaptae, & ita amissae, quandoque non tam considerauerint rei ipsius seu domini amissionem, quam potius actionis illius, qua dominus rem suam potuerat ante impletam usucapionem vindicare, vnde & tunc non tam impetrabatur per in integrum restitutionem amissae rei & possessionis restitutio, quam potius actionis amissae redintegratio, sic ut ea liceret post restitutionem

C 2

expe-

(p) conf. ODDVS. c. l. P. I. qu. 19. art. 4.

(q) in Comment. ad Pand. lib. 4. tit. 1. §. 17. & 21.



experiri per tot dies, quot diebus quis agere impeditus fuerat (r). Et secundum hanc sententiam decreuit quoque CLEMENS V. (s) his verbis: *Ab ecclesia aduersus lapsum temporis, in quo se laesam affirmat, in integrum restitutio peti potest, & causa restitutionis huiusmodi finiri debet intra quadriennium continuum a tempore laesionis, etiamsi minus quadriennio tempus laesionis existat. Sed non fiet restitutio, nisi ad tantum tempus, quantum se laesam probabit. Illa denique exceptio, quod restitutio in integrum aliquando etiam post quadriennium elapsam peti & concedi possit, si praeuauicationis vel fraudis manifeste probetur super hoc interuenisse commentum: aut alia rationabilis causa subsit, quae superiorem mouere debeat ad idem beneficium concedendum, non ad solam ecclesiam, de qua quidem leges (t) nominatim loquuntur, restringenda, sed & ad rempublicam, minores, maioresque lapsos, porrigenda videtur.*

Cete-

(r) De duplici iudicio, rescindente & rescissorio, iam iure romano nouo reiecto, nec in praxi nostra agnito, legas, si placet, BACHOVIVM in *Protis* p. 947. seqq. & in *tr. de actionib.* disp. 3. tit. 29. VINNIUM in *quaest. iur. selectis* lib. I. c. II. VOETIVM c. I. §. 21. STRYK in *V. M.* lib. 4. tit. 2. §. 5. seqq. COCCII in *Iur. ciu. controu.* lib. 4. tit. 2. q. 3.

(s) in *Clem. vn. de rest. in integr.*

(t) c. I. & 2. de *restit. in integr.* in 6.

Ceterum praetereundum non est, quod intra *biennium* aut *quadriennium continuum* restitutio non solum *peti*, sed & *lis finiri* debeat (*u*), nisi per iudicem aut aduersarium steterit, quominus intra statutum tempus *lis finiatur* (*x*). Est illud singulare prorsus in restitutionis materia, cum alioquin *litis contestatio* actiones, sua etiam natura temporales, perpetuas efficiat (*y*). Verum hodie, omnibus fatentibus, sufficit, restitutionem in integrum intra *tempora legitima* petitam esse, nec opus est, ut intra illa etiam *lis finiatur*.

§. III.

Initium temporis restitutionum in integrum.

Quamuis vero tempora restitutionum in integrum *continua* sint *ratione cursus*, non tamen *eodem modo* in omnibus restitutionum *causis initium* sumunt, sed & *ratione initii* aliquando *suo modo utilis* sunt, ut non semper a *momento laesionis* currere incipiant. IUSTINIANVS (z) quoad *initium temporis* hic nihil mutauit, sed voluit, ut tempora restitutionum, *ratione decursus* ab ipso praescripta, ex *eo die* dinumerentur, ex quo *olim annus utilis* currebat. Actio ergo de dolo

C 3


mouen-

(u) l. 2. C. de dolo malo l. fin. C. de tempor. in integ. restit. Clem. vn. de restit. in integ.

(x) l. 39. D. de minor. l. 6. C. de tempore rest. integr.

(y) l. 139. de R. I.

(z) in l. ult. C. de tempor. rest. in integr.



mouenda est intra *biennium continuum* ex eo die, quo *asseritur dolus commissus* (a). In metu quoque a *laesionis* die computationem quadriennii inchoandam esse, censet 10. VOETIVS (b), sed, si recte iudico, potius dicendum puto, currere in hoc casu quadriennium ex die *cessantis metus*. In casu *alienationis iudicii mutandi causa factae* quadriennium computatur a die *alienationis* (c). *Ecclesiae datum quadriennium* currit ex tempore *laesionis* (d). Idem valet de *republica laesa*. In *absentia aliisque impedimentis* quadriennium computandum est, a die *reversionis* aut *remoti impedimenti*, e. g. *die missionis*, & quo primum laesus de ea re experiundi potestatem habuit (e). In *minorum restitutionibus* quadriennium currere incipit, ex quo *vicesimi, sexti aetatis anni primus dies illuxerit*, (f) non tamen ante

(a) l. 8. C. de dolo malo.


(b) c. 1. §. 19.

(c) BACHOVIVS in *Protis* p. 1227. STRVVIVS Exerc. 8. th. 94.

(d) c. 2. de rest. in integr.

(e) l. 1. §. 1. D. ex quib. caus. maior. l. ult. C. quib. ex caus. maior. l. 18. C. de postlim. reuers. l. 1. C. de tempor. in integr. restit. Igitur quadriennium restitutionis in integrum contra sententiam ex causa nouiter reperorum instrumentorum currit demum ab eo tempore, quo fuerunt reperta, & non ex die latae sententiae. TAFINGER in *Inst. iurisprud. camer.* §. 1008. *Decis. Cassellanae* T. I. decis. 94. & ab his excitati Doctores.

(f) l. ult. C. de tempor. in integr. restit.



ante horam, qua natus est, sed tempus a momento in momentum spectatur (ff). Si vero minor, ante impetratam veniam laesus, beneficio Principis veniam aetatis fuerit consequutus, ex eo die, quo indulgentia Principis in iudicio competenti fuit intimata, quadriennii initium est, ita tamen, ut nunquam praedictum quadriennium citius exeat, quam veniam impetrans reuera maior factus fuerit, si forte a tempore veniae plus quam quadriennium ad maiorenitatem explendam superesset (g). Sumamus ergo casum, quod adolescens, dum anni vigesimi aetatis suae metas compleuit, veniam aetatis consequutus sit. Quadriennium computatur ex die primo anni vigesimi primi. Sed cum illud absoluitur adolescente nondum verae minorennitatis annos egresso, restitutionis in integrum auxilium usque ad primum diem vicesimi sexti anni adhuc saluum est. Fingamus vero adolescentem expleto vigesimo tertio aetatis anno veniam consequi: quadriennium tum currere incipit a die primo anni vigesimi quarti, & quoniam incidit in tempus verae maiorenitatis a laeso iam ingressae, in integrum restitutionis beneficio iuuatur tantum usque ad diem primum anni vigesimi octavi, quod venia aetatis non impetrata, usque ad diem primum anni tricesimi durasset. Igitur liquido falsum docet 10. GODOFR. SCHAUM-

(ff) 1. 3. §. 3. D. de minor.

(g) 1. 5. pr. C. de temp. in integr. restit.



SCHAVMBVRGBIVS *h*) quasi hoc quadriennium curat demum ab adepta maiorenitate, etiamsi interim veniam aetatis impetrauerit minor.

Non solum qui ipsi potuerunt in interum restitui, sed & illorum successores, in integrum restituuntur. Qua quidem in re diuersi a se probe separandi sunt casus: (*i*)

I. *Si minor succedit minori.* Heres integrum quadriennium habet, a sua maiorenitate aut venia aetatis computandum, ita tamen vt posteriore casus citius non exeat, quam reuera maior factus fuerit heres.

II. *Si minor succedit maiori.* Heres tantum temporis ad exponendam in integrum restitutionem habet, quantum defuncto reliquum fuerat: quod heredi tamen ex tempore maiorenitatis suae aut veniae aetatis impetratae demum currere incipit.

III. *Si maior succedit minori.* Heres integrum quadriennium habet, ab adita hereditate aut accepta bonorum possessione computandum.

IV. *Si maior succedit maiori.* Heres restituitur in integrum intra illud, quod defuncto ex quadriennio superfuit, tempus, idque ipsi currere incipit ex quo adiuit hereditatem aut agnouit bonorum possessionem.

Alii,

(*h*) in *Compend. Dig. lib. 4. §. 9.* Quem secutus olim incaute HELLFELDIUS, quique nec in quinta editione *Iurisprud. forensis §. 463.* rem accurate proposuit.

(*i*) 1. 6. D. de *in integ. restit.* l. 18. §. *fin.* D. de *minor.* l. 19. *cod.* l. 5. C. de *tempor. in integ. restit.*

Alii, non quidem in ius laeforum succedentes, quibus tamen ex illorum persona aliquando subueniri solet, e. g. *fideiussori minoris*, secundum analogiam iuris nostri, hoc auxilio per illud tantum tempus gaudent, per quod *intuitu personae principalis* laesae saluum adhuc est & integrum.

Si vtraque restitutionis causa, aetatis nempe & absentiae, in eandem personam concurrat, vtputa: si minor est, & reipublicae causa abest, leges volunt, vt vtriusque causae rationem habeamus, ita, vt tempus illud, quod ei non currebat, propter minorem aetatem, nec ei currat post maiorem aetatem, quam diu nempe militat, vel abest reipublicae causa: quia tempus quod minor aetas tribuerat, militia continuat (k).

Sed nobilis, eaque maxime controuersa, est quaestio: *Vtrum tempus restitutionis in integrum semper eatenus quoque sit utile ratione initii, vt tantum scientibus, se lapsos esse, neutiquam vero ignorantibus, currat?* Scilicet hoc sensu, vt e. c. in casu doli, aut si ecclesia laesa ex die laesionis; in casu minorennitatis ex die primo anni vicefimi sexti, in casu absentiae ex die reuersionis, & cetera, temporis legitimi initium non aliter fit, nisi restituendus eodem tempore simul laesionem cognitam habeat, ideoque, laesione adhuc incognita, initium temporis restitutionis in diem scientiae, postea demum acceptae, differendum fit. Multi Iureconsulti

D hanc

(k) l. 1. 3. 4. C. de temp. in integr. restit. PEREZ in Praelectionib. ad Cod. cit. tit. n. 5.



hanc quaestionem affirmant, moti praecipue auctoritate CAII, (l) qui in actione in factum ex edicto de calumniatoribus his verbis usus est: *Annus autem in personam quidem eius, qui dedit pecuniam, ne secum ageretur, ex eo tempore cedit, ex quo dedit: si modo potestas ei fieret experiundi. In illius vero persona, cum quo ut agatur, alius pecuniam dedit, dubitari potest, utrum ex die datae pecuniae numerari debeat, an potius, ex quo cognouit datam esse: quia qui nescit, is videtur experiundi potestatem non habere, & verius est, ex eo annum numerari, ex quo cognouit.* Nec inficiari possumus, hanc sententiam in foris nostris triumphare (m). Ast negantium sententiam in theoria iuris veriozem esse, persuasum mihi habeo. Singulare enim omnino est in materia bonorum possessionis, (n) & in edicto de calumniatoribus, ut tempora legitima tantum currant scientibus; quae iuris dispositio ad plane diuersas trahi non debet materias. Quod enim duae illae qualitates: currere a die scientiae, & currere diebus fastis, ex quibus coniunctim sumtis aliquando tempus utile aestimatur, non semper simul coniuncte, sed aliquando separatae sint, docet VLPIANVS (o) his verbis: *Tempus*

(l) in l. 6. D. de calumniatorib.

(m) ODDVS in cit. tr. P. I. quaest. 20. art. 4. GAILIVS lib. 4. obseru. 48. CARPZOVIUS lib. 2. Resp. 96. no. 12. LEYSERVS spec. 60. m. 5.

(n) l. 2. D. quis ord. in poss.

(o) in l. 19. §. 6. D. de aedil. edicto.

pus autem redhibitionis sex menses utiles habet, si autem mancipium non redhibeatur, sed quanto minoris agitur, annus utilis est. Sed tempus redhibitionis ex die venditionis currit; aut si dictum promissumue quid est, ex eo, ex quo dictum promissumue quid est. Simili modo omnes iuris nostri textus supra excitati, de temporibus restitutionum loquentes, probant atque demonstrant, annum ratione cursus olim utilem, & hodie biennium aut quadriennium continuum, non demum ex die scientiae; sed vel ex die laesionis, vel remoti impedimenti, vel ex die primo anni vigesimi sexti, vel ex die intimatae indulgentiae, qua venia aetatis data est, numerari (p).

§. IV.

Restitutio in integrum vel est actio, vel exceptio, vel replicatio, vel duplicatio, vel ulterior allegatio.

Restitutionem in integrum, quatenus a laeso intenditur & a magistratu petitur, vel actionem esse, vel exceptionem, vel replicationem, vel duplicationem vel ulteriorem allegationem, artem iuris callentes non latet. Adposite VLPPIANVS (a) hanc in rem ita lo-

D 2

qui-

(p) FRANZKIVS c. 1. n. 29. BACHOVIVS in *Protis* p. 953. & in *Notis ad TREVTL.* Vol. I. disp. XI. §. 3. lib. 6. VOETIVS cit. loc. §. 19.

(a) in l. 9. §. 3. D. *quod metus causa.* confer. l. 5. §. 6. D. de



quitur: Sed quod Praetor ait, ratum se non habiturum: quatenus accipiendum est videamus. Et quidem aut imperfecta res est, licet metus interuenerit: utputa stipulationem numeratio non est secuta: aut perfecta; si post stipulationem & numeratio facta est, aut per metum accepto debitor liberatus est, vel quid simile contigerit, quod negotium perficeret. Et Pomponius scribit, in negotiis quidem perfectis & exceptionem interdum, & actionem competere: in imperfectis autem solam exceptionem. Sed ex facto scio, cum Campani, metu cuidam illato, extorsissent cautionem pollicitationis, rescriptum esse ab Imperatore nostro, posse eum a Praetore in integrum restitutionem postulare, & Praetorem, me consistente, interloquutum esse, ut siue actione vellet aduersus Campanos experiri, esse propositam: siue exceptione aduersus petentes, non deesse exceptionem. Ex qua constitutione colligitur: ut siue perfecta, siue imperfecta res sit, & actio & exceptio detur.

Sed nunc quaestio cardinalis, eaque grauissima, sese nobis offert: *Vtrum nempe antea memorata legitima tempora restitutionis in integrum quibuslibet viis & modis, quibus illa petitur, praestituta sint, an non?* De quibus singulis diligentius dispiciamus.

§. V.

de dol. mal. & met. except. l. 9. §. 4. D. de iureiur. l. 3. D. ratam rem haberi. conf. ANDR. MYLII diff. de remediis quae per modum actionis & exceptionis proponi possunt. Lips. 1685. apud SENKENBERG in Supplementis ad ZANGERVUM p. 64. seqq.

§. V.


Praescriptio restitutionis in integrum qua actionis.

Si quis per modum actionis restitutionem in integrum petit, non omni tempore ad illud auxilium aditum patere, sed temporibus restitutionum legitimis elapsis ordinarie id praescriptum esse, nemo ante nostram aetatem in dubium vocare ausus fuit, nec id patiuntur clarae legum sanctiones supra memoratae (a): at CHRISTIANVS FRIDERICVS GLÜCKLVS, V. C. in *dissert. de vita petendae restitutionis in integrum Praetoriae, secundum doctrinam Romanam praecipue quadriennali, hodie vero perpetua*. Halae 1776. sub praesidio IOAN. CHRISTIANI WOLTAERI V. C. defensa, recocto iudicio duplici, rescindente & rescissorio, biennium & quadriennium continuum ad solum iudicium rescindens pertinere ratus, his, quae sequuntur, verbis nouam proposuit sententiam: cum igitur hodie ipso iure competat hoc restitutionis beneficium, nec amplius implorandum illud petendumque a iudice sit separato quodam, ut olim, iudicio de hoc mouendo, quid per Deum immortalem iam cum Quadriennio illo, a solis in integrum restitutionis auxilium petentibus Romae obseruando, causaeque petendae restitutionis adstricto? Nonne itaque potius, cum ipso nunc iure competat, absque praeuia eius iudicio rescindente facta petitione & impetratione perpetuo competet?

D 3

Equidem

(a) Exceptiones dari a regula monuimus in §. 3. ex c. 1. & 2. de rest. in integr. in 6.



Equidem non ex illorum numero sum, qui solius BARTOLI deliciis pascuntur, aut qui cum aduocato illo penes MENAGIVM orationem D. Marci preces esse S. Marci existimant; nondum tamen a me impetrare potui, ut calculum album huic sententiae adponendum esse censeam. Etenim primo ne apud veteres quidem Iureconsultos in Pandectis in omnibus in integrum restitutionum casibus distinctum fuit iudicium *rescindens* & *rescissorium*, uti praeclare docuerunt BACHOVIVS, VINNIUS, VOETIVS aliique, (vid. §. 3. not. s) quorum argumenta soluere doctissimus GLÜCKIVS superfedidit. Secundo, falsum omnino est, quod hodie ipso iure competat restitutionis beneficium. Nam & hodie adhuc, siue per modum actionis, siue exceptionis, siue replicationis, siue duplicationis intendatur, peti tamen restitutio a magistratu debet (b). Legibus quidem ipsis proditum est, quibus personis & ex quibus causis laesis a magistratu succurrendum sit, sed exinde non sequitur, ipso iam iure hoc auxilium laesis competere, nec petitione illius in casu singulari obuius opus esse. Alias enim sequeretur, bonorum etiam possessiones, quas edicto Praetor pollicitus est, ipso iam iure

(b) Causae enim cognitione in omni restitutione opus est. l. 3. D. de in integr. rest. l. 9. §. 4. D. de iureiurando FRANZKIVS c. l. n. II. BOEMMERVS in *Introduct. in ius digest.* lib. 4. lit. I. §. 4. WERNHER T. II. P. VI. obf. 466. Illud tamen me non fugit, quod contra lapsum fatalium in processu aliquando breui, ut aiunt, manu detur restitutio.

❖————❖

iure competere, nec illas intra tempora legitima in casibus obuenientibus agnoscendas esse. Tertio, rescissorium iudicium, si illud a rescindente distinguere tibi placet, ne quidem apud Romanos semper fuit perpetuum, quod vt alia taceam, eo in casu, si quis per ipsius temporis lapsum laesus erat, luculenter probat l. 26. §. 7. & 8. D. ex quib. caus. maior. idque iure canonico in Clem. vn. de rest. in integr. confirmatum est. (vid. §. 3.) Ex quo adducto exemplo simul patet, conditionem laesorum a D. GLÜCKIO non fieri semper meliorem, sed effici illam aliquando multo deteriolem, quam foret, si restitutio ipso iure non competeret, sed intra quadriennium in iudicio rescindente peti posset & deberet. Nam si quis rem meam vno minus die statuto in vfucapionibus tempore possedit, deinde reipublicae causa abesse coepi, post reditum meum intra vnum tantum diem actio rescissoria a me institui posset; cum e contra iudicium rescindens per quadriennium mihi patuisset, factaque in eo iudicio restitutione mihi licuisset actione rescissoria experiri adhuc per vnum diem.

§. VI.

Praescriptio restitutionis in integrum qua exceptionis.

Per quantum vero temporis spatium restitutio in integrum per modum exceptionis peti possit & debeat? quaestio est, in qua dirimenda Doctores magnopere desudarunt. Referam varias opiniones. *Prima: Restitutio in integrum per viam exceptionis petita nullius tem-*



temporis, quantumlibet longissimi, praescriptione excluditur (a). Secunda: Restitutio in integrum post transactum tempus eius legitimum, v. c. quadriennium, nec per viam exceptionis amplius peti potest (b). Tertia: Restitutio in integrum post elapsum tempus eius legitimum tum adhuc per viam exceptionis peti potest, si illa per modum actionis in iudicium deduci non potuit, aut laesus restitutionem implorare impeditus fuit; alias vero restitutionis exceptio ad exemplum actionis est temporalis (c). Denique quarto haec quaestio IOAN. CHRISTIANO CLAPROTHIO (d) adeo intricata & difficilis visa est, vt, sibi de ea re non liquere, dicere satius duxerit. In dubio tamen regulae

- (a) ANT. FABER in *Cod. Sabaud.* lib. 2. t. 35. def. 4. qui tamen aliam opinionem fouerat in *Rational. in Pand.* ad l. 9. §. 4. de *iureiur.* BENED. CARPZOVIVS in *Proc.* t. 19. art. 2. n. 16. & lib. 2. *Resp.* 86. n. 1. & 2. BARTHOL. LEON. SVENDENDOERFFERVS in *Proc. Fibig.* n. 458. CAROL. FERD. HOMMELIVS in *Rhapsodia* obs. 481.
- (b) SEFORT. ODDVS in *cit. tr.* P. I. qu. 35. art. 7. IOH. BRVNNEMANNVS ad l. f. C. de *tempor. restit. in integr.* WOLFFGANG. ADAM. LAVTERBACHIVS in *Coll. theor. pract.* lib. 4. tit. 6. §. 28. IOAN. SCHILTERVS *Exerc.* XI. §. 31. seq. & plures ab his allegati Doctores.
- (c) DAVID. MEVIVS P. 3. dec. 333. LEON. LVDOV. MENCHEN in *dissert. de restit. in integr. praescriptione* §. 15. seq. Vitemb 1744. Scriptum subitum, leue & mancum!
- (d) in *dissert. de reb. mrae facultatis* §. 7. Goetting. 1745.

lae illi: quae ad agendum sunt temporalia, ea ad excipiendum sunt perpetua, quam DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS luculenter confirmarunt peculiari rescripto in l. 5. C. de exceptionibus, insistendum esse censet.

Si nunc, quid mihi de hac re videatur, libere profiteri licet, illud praemonendum est, quod *tertia* opinio plane reiicienda videatur; quoniam limitationes, quibus innitur, legum praesidio euidenter destituuntur. Quinam enim sunt illi casus restitutionum in integrum, in quibus laesus *agendo* experiri non potest? Nullos adducere potuit MEVIUS & MENCKENIUS. Et VLPIANUS contrarium nos docet, (vid. §. 4.) recteque SCHILTERVS (e) pronunciauit: *natura restitutionis in integrum est, ut quandocunque libuerit, per modum actionis in iudicium deduci possit.* Deinde si laesus iuste impeditus fuit restitutionem in integrum petere, neque *via actionis*, neque *exceptionis*, ipsi pracluditur, sed *tempus impediti* subducitur; quod a nobis supra (§. 3.) iam monitum est.

Igitur ex opinionibus, *primo & secundo* loco positis, illa eligenda est, cui dicas, tu mihi sola places. Ego *primae* opinioni plausum tribuo, idque non facio temere, sed iustis rationibus instructus. Etenim hoc quidem legibus proditum est, *actionibus* certos fines datos esse, quibus terminantur (f); at de *exceptionibus*

E

nibus

(e) *cit. loc.*(f) *pr. I. de perpet. & tempor. actionibus.*




nibus simile quid in iure nostro non occurrit, si a sola exceptione *non numeratae pecuniae & dotis discesseris* (g), quod vero exorbitans & singulare est, & regulam potius firmat quam euertit. Firma ergo & inconcussa manet *regula*: Quae ad agendum sunt temporalia, ad excipiendum sunt perpetua, eamque PAVLVS (h) comprobatur his verbis: *Non sicut de dolo actio certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est, nam haec perpetuo competit: cum actor quidem in sua potestate habeat, quando utatur suo iure, is autem cum quo agitur, non habeat potestatem, quando conueniatur.* Confirmata quoque est a DIOCLETIANO & MAXIMIANO sequenti rescripto: (i) *Licet Vnde Vi*
in-

(g) tit. C. de N. N. P. NOV. 100. c. 2. AVTH. Quod locum C. de *dote cauta non numer.* Quod tamen alii ad has exceptiones, quatenus *privilegiatae* sunt, restringunt. vid. VOETIVS in *Comment. ad Pand.* lib. 12. tit. 1. §. 30. seqq.

(h) in l. 5. §. 6. D. de *doli mali except.*

(i) l. 5. C. de *except.* Hoc quidem rescriptum & a fautoribus *tertia*e opinionis in partes suas trahitur, cum *possessor* experiri non potuerit interdicto *Vnde Vi*. Quamuis vero id negare nolim, persuasum tamen mihi est, & antithesis: *licet Vnde Vi interdictum intra annum locum habeat* — manifesto & euidenter probat, quod Imperatores non illa causa, quam aduersarii praetexunt, sed hac ratione, quod exceptiones perpetuae sint, licet actio temporalis sit, moti, ita rescripserint. Vnius certe rei plures possunt esse causae.



interdictum intra annum locum habeat, tamen exceptione perpetua succurri ei, qui per vim expulsus post retinuit possessionem, auctoritate iuris manifestatur.


Regula quidem illa frequentiore Iureconsultorum (k) praesertim pragmaticorum consensu, verba PAVLI detorquendo, limitari solet: *nisi per modum actionis in iudicium deduci potuerit: & huic quoque limitationi insistent illi Iureconsulti, qui exceptionem restitutionis in integrum temporalem esse defendunt, quoniam, vt supra (§. 4.) dictum est, laeso via etiam actionis patuit.* Verum neque lege, neque exemplo satis certo & idoneo, limitatio illa atque restrictio regulae firmari potest (l). Certe quod in l. 8. §. 13. D. de inoff. testam. scriptum est: *Si filius exheredatus in possessione sit hereditatis: scriptus quidem heres petet hereditatem, filius vero in modum contradictionis querelam inducat; quemadmodum ageret, si non possideret, sed peteret: illud ad hanc quaestionem non pertinet; ibi enim non temporis intuitu comparatio inter inofficiosi exceptionem & actionem denotatur, sed id vnum, quod filius, qui hereditatem possidet, tueri se possit inofficiosi exceptione & iisdem argumentis vti, quibus, si hereditatem non possedisset, eam petiturus fuisset.* Aliud

E 2

exem-

(k) VINNIUS in *selecti. Quaest.* lib. I. c. 41. STRVV. *Exerc.* 46. th. 13. ibique MÜLLER, GRASS. in *Collat. iur. rom. cum Recept. imp.* S. 2. th. 1.

(l) Quod solide demonstrarunt VOETIVS c. l. §. 34. & CLAPROTHIVS in *civ. diff.* §. 2. seqq.



exemplum depromere solent ex l. 9. §. 4. D. de *iur.*
reiur., quod in §. seq. refutabimus, ostensuri, ibi non
 de *exceptione*, sed de *replicatione* sermonem esse. *Regula*
 quoque illa, quae vult, vt *exceptio*, licet *per modum*
 etiam *actionis* in iudicium deduci potuerit, non eodem
 tempore, vt actio, perire debeat, solidis non destitui-
 tur fundamentis. Nam, quod bene obseruauit CLAP-
 ROTHIVS, *praescriptio actionum* eam ob causam procul
 dubio placuit, vt finirentur & diminuerentur lites.
 Atqui is, qui amissa actione *exceptionem* sibi seruat,
 forum non turbat, neque alterum, vt in ius vocatio-
 nem tentet, incitare potest. Licet itaque publice in-
 terfit, lites omni modo exstingui, minime tamen ex-
 pedit, armis reum exui suaque legitima defensione
 priuari. Et quis non ferat eum, qui ideo intra de-
 finitum tempus non agit, quod lites execratur, & al-
 terum, quo cum ipsi res est, calumniosam litem non
 esse moturum, confidit. Num forte verecunda ipsius
 cogitatio meretur, vt exceptionis amissione puniatur,
 vbi spe sua excidit, & alter nihilominus contra eum
 experitur? Deinde & recte monet VOETIVS, verum
 non esse, eius, quod exceptiones perpetuo dentur,
 hanc solam, a PAVLO allegatam, rationem esse, quod
actores quidem in sua potestate habeant, quando utantur
iure suo; is autem, cum quo agitur, non habeat pote-
statem quando conueniatur; cum & alia sit: quod nem-
pe nec infamantes sint exceptiones, vti quidem actio-
nes, ac nominatim doli actio, adeoque etiam minus
 odio

odiosae. Frustra quoque obtenditur, puniri oportere insignem negligentiam eius, qui cum agere potuerit, id intra legitimum tempus non fecerit; cum utique non omnis negligentia punienda sit: Et sane, si ob id, quod quis *temporalem* habens actionem, nec intra tempus praefinitum agens, mox etiam *exceptione* ex eadem causa descendente priuandus esset, sequeretur, eum quoque, qui eadem ex causa *temporalem* aliam, aliam *perpetuam actionem* habet, actione *perpetua* destituendum esse, ubi agere neglexit, intra tempora actioni alteri *temporali* praefinita; quod quantopere in ipsa incurrat iuris initia, notius est, quam ut adstructione indigeat. Denique omni exceptione maius est, & erit semper, testimonium PAVLI (m), ad ipsam illam, in qua versamur, *restitutionis in integrum* materiam pertinens: *Non sicut de dolo actio certo tempore finitur, ita etiam exceptio eodem tempore danda est: nam haec perpetuo competit.*

§. VII.

Praescriptio restitutionis in integrum qua replicationis.

Restitutio in integrum ab actore peti etiam potest per viam replicationis, ut exceptionem rei oppugnet (a). Sed tum iterum quaeritur: *Vtrum replicationes, quae per viam quoque actionis in iudicium deduci potuissent, sint temporales ad exemplum actionum, an*

E 3

vero

(m) in l. 5. §. 6. D. de doli mali & metus except.

(a) l. 9. §. 4. D. de iureiur. l. 3. D. ratam rem haberi.



vero perpetuae? Et magis puto cum *Accursio* temporales quoque esse replicationes, quia, cum sint exceptiones ex parte actoris, in cuius potestate fuit quando ageret, non maior in iis ratio fit, cur non finiantur tempore, quam in actionibus. Igitur recte VLPPIANVS (b) de replicatione restitutionis in integrum scripsit: Si minor XXV. annis detulerit (iusiurandum) & hoc ipso captum se dicat, aduersus exceptionem iurandi replicari debet, ut Pomponius ait. Ego autem puto hanc replicationem non semper esse dandam, sed plerumque ipsum Praetorem debere cognoscere, an captus sit, & sic in integrum restituere, nec enim utique, qui minor est, statim & circumscriptum se docuit. Praeterea exceptio ista suae cognitio, statutum tempus post annum XXV. non debet egredi. De replicatione ergo restitutionis res dubio caret. Sed, cum VLPPIANVS ait: Praeterea exceptio ista &c. multi (§. 6.) crediderunt & exceptionem restitutionis temporalem esse (b). Verum admonendi sumus & replicationem sub nomine exceptionis latae sumtae in legibus nostris comprehendendi, imo & duplicationem & ulteriores quoque allegationes (c). Aliquando tamen replicatio restitutionis perpetua est, tunc nempe: si pactum intercessit in exceptione, sine temporis praefinitione de dolo replicare potes, ex constitutione DIOCLETIANI & MAXIMIANI

NI

(b) Glossatores iam in diuersas abierunt sententias. Conf. FABER in *Rational. in Pand.* ad h. l.

(c) §. 3. I. de replic. 1. 2. §. 1. & 2. D. de except.

NI (d). Loquuntur Imperatores de *replicatione doli*, idem vero dicendum est de *qualibet replicatione restitutionis*. Verbi gratia: Minor pactus est cum debitore suo, ne ab eo pecuniam petat. Minor creditor deinde nihilominus agit, & debitor obiicit pacti *exceptionem*, ad quam elidendam actor utitur *replicatione restitutionis*.

§. VIII.

Praescriptio restitutionis in integrum qua duplicationis aut ulterioris allegationis.

Fieri potest, ut reus adiuuandi sui gratia *replicationi actoris* opponat *duplicationem restitutionis*. *Duplicationis* ad exemplum *exceptionis perpetua* est. Igitur quae de *exceptione restitutionis* a nobis dicta sunt, (§. 6.) ea & de *duplicatione restitutionis* valent.

Sic etiam aliquando contingere potest, ut per modum *ulteriorum allegationum*, *triplicationum* puta, *quadruplicationum* &c. restitutio in integrum petatur (a): quibus in casibus eadem principia obtinent, quae de *exceptione* & *replicatione restitutionis* proposuimus, dum aut reus aut actor restitutionem in integrum petit.

(d) l. 6. Cod. de *exceptionibus*.

(a) §. 3. I. de *replicat.*

P. 24. lin. 4. interum lege integrum.


E P I.




 EPIMETRVM.

Vocabula: *restitutio*, & *restitutio in integrum*, varias habere significationes, vel *vulgares*, vel *technicas in arte iuris* signatas, e *Vocabulariis iuris* satis notum est. Quoniam a nobis significato *restitutio in integrum* sumpta sit, in §. I. explicauimus. Neque igitur loquuti sumus de omnibus aliis restitutionibus, earumque praescriptionibus, neque speciatim ad nostrum thema pertinuit quaestio: *Vtrum restitutiones ex pace WESTPHALICA praescriptioni sint obnoxiae?* Pertractarunt illam DIEDER. CHRISTOPH. IHRINGK in *Comment. de indole remedii restitutionis, quo priuatus ex transactione Principis, Pace Westphalica confirmata, experitur in priuatum c. 5. Marb. 1748.* & *Vir immortalis* FRANC. IVST. KORTHOLT in *diss. de abusu doctrinae quod in causis Pacis Westphal. executio citra processum locum habeat. §. 60. Giesae 1750.* ILLE quidem *negantem*; HIC vero docte & solide *affirmantem* sententiam propugnauit. Vtrumque scriptum latuisse videtur IO. CHRISTIAN. LVDOV. FRESENIUM V. C., qui non ita pridem hanc quaestionem tanquam nouam & a nemine antehac dissolutam proposuit in *den Meditationen für Rechtsgelehrte T. II.* *Negantem* quidem sententiam defendit FRESENIUS, sed eius argumenta vel a b. KORTHOLTIO iam eneruata, vel ita comparata sunt, vt seria refutatione non indigeant. e. g. petitionem restitutionis ex Pace Westphalica esse *rem merae facultatis.*







Universitäts
Bibliothek
Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1037045130/phys_0048

DFG

EPIMETRVM.

restitutio, & restitutio in integrum, varias habet species, vel vulgares, vel technicas in arte iuris singulari iuris satis notum est. Quoniam a notum est restitutio in integrum sumpta sit, in §. I. explicatur loquuti sumus de omnibus aliis restitutionibus, neque speciatim ad nostrum thema: *Vtrum restitutiones ex pace Westphalica sint obnoxiae?* Pertractarunt illam *DIEDER. CHR. ENGK* in *Comment. de indole remedii transactione Principis, Pace Westphalica confirmata in priuatum c. 5. Marb. 1748.* & *Vir immortalis* *ST. KORTHOLT* in *diss. de abusu doctrinae quae dicitur in Westphal. executio citra processum locum habere* *1750.* *ILLE* quidem negantem; *HIC* vero affirmantem sententiam propugnauit. *Vtrumque* *STIAN. LVDOV. FRESE* qui non ita pridem hanc quaestionem tanquam in fine antehac dissolutam proposuit in *den Medita* *tsgelehrte T. II.* Negantem quidem sententiam de *ys,* sed eius argumenta vel a *b. KORTHOLTIO* vel ita comparata sunt, vt feria refutatione non *petitio-* nem restitutionis ex Pace Westphalica mereae facultatis.

